

EXCELLENTISSIMO VIRO

PETRO SEVERINO DA-

NO SERENISS. REGIS DANIAE
ARCHIATRO.

Thomas Mufettus Anglus

ἐν πρῶτῳ.



Vandiu Philochemiæ animū adjeci, ornatissime Severine: tandiu ejus præstantiā singulis Medicinæ studiosis innotescere posse plurimū peroptavi. quippe ex qua tantam sanitatem suavitatemque hausi, quantam non optare aliis communem, vix hominis nedū philosophi esse existimarem. Tamen cum cernerē tuam illam ingeniosissimam & cedro dignissimā Idæam à vulgo medicorū honore non satis amplo exceptā; teq; & oleum (quo saxa mollire instituisi) & operam pæne omnē perdidisse: verēbar equidem ne cum hoc libello iniquius multo essent acturi, qui tam elegātis & divinæ orationis θελήτῳ ne utiquam flectebantur. Forte id accidit, quod Antichemistas siccos & sobrios esse credēs: propterea eos putares nō sale sed oleo perluēdos, & molli oratione ceu plectro quodam Thebaico ad veritatis sensum ducendos. Ego autem contra animatus sum, in eamque totus ab eo sententiam: quod non oleo amplius perluendi sed sale perfri-candi sint, & vel satyricorum cauterio vel stimulis dialecticorum exuscitandi. Nam illorum plurimi Chemiam tanto odio habere cœperunt, ut ipsius solo